

Vg  
1658



Nr. 3



CAVSAE

Vg  
1658

CVR

CATECHISMVS LV-

THERI IN SCHOLIS ET ECCLIE,

*sijs Christianis fideliter sit retinendus ac tradendus, ac suppositicij atq. impuri Catechismi sint fugiendi*

ORATIO HABITA IN  
Academia Ienensi

A

D. IOHANNE VVI

*gando.*

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



A. d. Bibliothek  
des Thüring.-Sächs.  
Geschichtsvereins.

1893/4. G. 2831

IENÆ

Anno Christi, M. D. LXXI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SÄCHS.)

S. 2p  
Nr. 344

CATHEDRAL

THE CATHEDRAL OF ...

OF ...

OF ...

BRITISH MUSEUM

THE ...



# CATECHISMVS

LVTHERI, IN SCHOLIS ET EC-  
CLESIIIS CHRISTIANIS, FIDELI-  
ter sit retinendus ac tradendus.

**D**Vplicita scripta in Ecclesia Domini nostri Iesu Christi, de rebus ad veram noticiam cultumque Dei, & hominum salutem pertinentibus habemus, Diuina nempe & Humana. Diuina vocantur Authentica illa in sacris literis monumenta, tradita singulari patefactione Dei, approbata in Nouo Testamento, atque perpetuo Ecclesiae recte sentientis testimonio ornata. Humana dicuntur, quae ex Biblicis scriptis, veluti ex fonte riuuli sunt deducta, hoc fine, vt simplicioribus, ostendatur quanam in sacris scripturis ad vniuersam Religionem, quam Deus requirit, necessaria, sint comprehensa & quomodo ea cum maiori fructu legenda, expendenda, singulisque applicanda, & ad salutarem vsum trahenda sint.

Sunt autem Diuina scripta, fons, Norma & *κρίτηριον*, omnium Humanorum scriptorum, quotquot vnquam extra Biblicos illos Autenticos libros, de rebus diuinis ac Religionis erga Deum, in hunc mundum aedita sunt. Nam de ethnicis libris, qui de rebus Theologicis de quibus solis hic agimus multa falsa & in Deum contumeliosa continent, id quod extra omnium Christianorum est controuersiam, in presentia nihil differemus. Est igitur nobis haec Regula immota: Quidquid a scriptis diuinis disciepat, id neque docendum neque faciendum est. Ac satis est in iudicijs de doctrinis, quae in Ecclesiam Dei perferuntur, adseuerare & liquido

demonstrare. Hoc alienum est à verbo Dei, itaq̃ adu-  
terinum ac reijciendum. Item, Hoc Deus dixit: Hoc sacra  
volumina pronunciant: Ergo sine omni exceptione reci-  
piendum ac summa constantia defendendum est, siue ride-  
ant siue frendant, siue benedicant siue maledicant homines  
vel summi vel infimi. Nec admittere possumus ad Iudicia  
articulorum fidei, rerumq̃ diuinarum in sacris literis expo-  
sitarum, pari quidem ratione, virorum excellentium, siue  
Patrum siue filiorum, siue Episcoporum siue Monachorum  
nomine censeantur, placita, & Conciliorum decreta. Nam  
honorì verbi diuini nihil est derogandum.

Sed cur inquis, in Scholis & Ecclesijs Christi, puram  
Euangelij vocem profitentibus, quaedam etiam hominum  
scripta enarrantur? Cur non mera Biblica scripta tradun-  
tur? Respondeo. Alia hæc est quæstio. Non hoc eò fit, qua-  
si Diuina ac humana scripta æquali excellentiæ gradu col-  
locanda sint: Sed vt sicut in artibus inferioribus audito-  
res Isagogis quibusdam ad grauiores authores cognoscen-  
dos præparantur: Ita & Compendijs quibusdam rudiores,  
in ipsa Biblica monumenta, quæ res omnium summas con-  
tinent, quasi prehensa manu & ostensa via deducantur.  
Quid enim sunt aliud isti humani in Ecclesia libri, quam  
Summæ quaedam concinnæ Cælestis doctrinæ accommo-  
datæ ad captum rudiorum iuuentutis præsertim, expositio-  
nes eruditæ phrasium, Indices luculenti ordinis, obseruati in  
sacris literis, & commonefactiones dextræ, quanam ratione  
diuina dicta ad vsum rectè sint transferenda.

Moses grauisime monet, Legem Dei acuendam esse  
populo Israel, hoc est repetendam assidue & oratione con-  
uenienti inculcandam, ne populus existimet, esse inanem vo-  
cem, ponderaq̃ rerum & verborum sæpius mente reuoluat.  
Paulus docet, Verbum Dei abunde in nobis habitare debe-  
re repetitione nimirum impigra, euolutione erudita, ad hor-  
tatione acri & inculcatione perpetua. Plurimum enim in  
solerti & graui applicatione situm est, ita vt verbum Dei  
ipsa

ipsa corda hominum penetret, percellat, nec tam aculeos, quam ardentis flammis in eis per Spiritum sanctum relinquat.

Sicut autem maxima est differentia librorum ab hominibus compositorum, quia dona Dei mirabiliter variant: Ita non sine iudicio libros Isagogicos, vel Exegeticos, in Scholis atque Ecclesijs Christi, proponi ac repeti oportere constat. Non enim adulationis, non ostentationis, non lucci gratia, ouiculis Christi, liber aliquis humanus est obtrudendus, sed solum ædificationis piæ & incorruptæ causa, ut nimirum Ecclesia in cognitione cœlestium rerum, subinde maiora incrementa capiat.

Proinde iterum Deo fauente, Compendium cœlestis doctrinæ propositurus, idque officij ratione, visum est Catechismum Lutheri paruum, in hac pia & inclyta Schola, tanquam teste & custode veritatis patefactæ, repetere, nouo fortasse, ut sciolis quibusdam videbitur, Sed tamen non malo exemplo. Rationes autem postea recitabimus non exiguas, ubi prius causas grauissimas exposuerimus, cur hic Lutheri Catechismus, in Scholis & Ecclesijs Christi, à fecibus Antichristi Rom. purgatis, fideliter sit retinendus.

Vetus est querela de rebus etiam inter gentes obseruatis, breui nimirum tempore dona Dei maxima, apud homines quasi consenescere ac vilescere. Id verò, ut de corporalibus nihil dicam, potissimum in Spiritualibus beneficijs Dei in Ecclesia accidit, utpote in patefactione verbi diuini. Quis enim non cum stupore in historijs Ecclesiæ Dei cernit, vix quinquaginta annos puritatem doctrinæ cœlestis vno in loco durare, posteaque mox in alia quasi domicilia commigrare. Id verò ex hominum inconstantia & improbitate accidit, qui dona Dei, quæ ob oculos quotidie versantur, non magni aestimant. Idem hodie pro dolor vsu venit donis Dei amplissimis & saluberrimis, quæ voce & scriptis Lutheri huic Mundo obtigerunt. Negare non possunt illi, quorum oculos Deus aperuit, post Apostolorum tempora,

Nullius hominis Ministerio, doctrinam Christi tam clarè,  
tam planè, tam salutariter, illustratam esse, atq; huius Lu-  
theri.

Quam densæ tenebræ in regno Pontificio, multis re-  
tro seculis dominatæ ac grassatæ sint horribiliter, ex Histo-  
rijs notū est. Quid igitur fit? Populus Epicureo furore ista  
contemnit, nec ea sedulitate audit conciones, nec liberos in  
Catechismo tantâ cura instituit, qua debebat, nec Deo gra-  
tias agit, nec rogat istius lucis ad posteros quoq; clemen-  
tem conseruationem. Docti passim incipiunt superbe fasti-  
dire Lutheri labores, extenuare eius operas, vellicare &  
confodere optima quæq; eius monumenta, & iam pridē cum  
corpore, etiâ scripta, honestamq; memoriam istius viri  
penitus nonnulli sepeliuissent, nisi à quibusdam infantibus,  
nomen Domini & dona eius grata memoria celebrantibus,  
fuisent impediti. Videas igitur quosdam agrè nomen qui-  
dem Lutheri ore & calamo paulisper retinere, ne prorsus  
habeantur pro Apostatis aut Luthero mastigibus, & tamen  
contra eum docere sæuaq; iacula in eum sine omni pudore,  
torquere atq; eijcere. Hinc Sacramentarij, isthinc Anti-  
mi, ab alia parte Synergistæ, ab alia Maioristæ, ab alia Osi-  
andristæ, & ab alia alij Spiritus in ædificium Dei per Luthe-  
rum extructum, faciunt impetum, ac destructionem sum-  
mis fraudibus & viribus moliuntur. Non autem tam de per-  
sona quam de operibus diuinis agimus, quæ in hoc ingrato  
mundo vili penduntur, ac ruit maxima hominum turba ite-  
rum per præceps in veteres errores, qui quidem speciosis  
fucis & effreni maledicentia, à pluribus pinguntur.

Cognoscite igitur optimi studiosi, cur expediat Ca-  
techismum Lutheri in Scholis & Ecclesijs sanctè custodi-  
ri, & accuratè rudioribus commendari atq; instillari, non  
hic verba, sed res præstantissimas ad gloriam Dei, & salu-  
tem Ecclesiæ æternam pertinentes, cupio vos expendere.

Equidem hoc seculo nihil mirabilius accidit, nihil ex-  
cellentius à Deo huius mundi archyrecto & conseruatore,  
humano



humano generi præstitum est, quam illustratio doctrinæ  
coelestis, purgatio Ecclesiarum à tam tetrâ idolomanis, à  
tam foedis prophanationibus Baptismi, & testamenti Do-  
minici, à tam impuris lupanaribus sacrificulorum & Mo-  
nachorum, à tam crudelibus exactionibus & vexationibus  
omnium hominum, à tam superba Magistratum & omni-  
um statuum conculcatione, ac denique à tam diris cruciatibus  
conscientiarum. Mox igitur initio necessitas ipsa suasit,  
& Spiritus sancti singulari instinctu factum est, vt graui  
iudicio hic Catechismus sit compræhensus, & Ecclesiæ  
renascenti traditus, ad simplices planè & dilucidè erudi-  
endos, & vt hac ratione facilius atq; salutarius Euangelij do-  
ctrina propagaretur. Sinite pueros inquit Christus, ad me  
venire. Talium enim est regnum cœlorum. Sed quomodo  
illi ad Christum accedent (loquor de ijs, qui erudiri queunt)  
nisi fundamenta Christianitatis aliquantulum habeant per-  
specta & cognita? Constat autem maximam esse differen-  
tiam inter ea scripta quæ necessitas gignit, & inter ea, quæ  
aliàs ab ociosis proferuntur.

Præterea variant non parum vocationes diuinæ, ac  
dona, quibus Deus peculiariter eos instruit, per quos res ar-  
duas vult efficere. Non est autem ignotum, hunc Luthe-  
rum mirabili Dei consilio in medium quasi theatrum, ex os-  
paca spelunca Monasterij extractum, & cognitione lingua-  
rum, eruditione rerum Theologicarum, luce iudicij & dis-  
cretionis inter verum & falsum, cum quidem omnia non mo-  
do in profundam abyssum essent demersa, sed etiam horri-  
bile chaos Scholasticorum dogmatum passim regnaret, co-  
gnitione Antichristi, eloquentia præstanti, facultate scri-  
bendi expedita, dono luculento interpretandi obscura, &  
transfundendi in alias linguas, animo excelso & aspernante  
offensiones, minas, pericula, Papæ, Cæsaris, Regum, Princi-  
pū, Vniuersitatū, Conciliorum, & omnium Diabolorum,  
cōstantia & fidei robore præ alijs innumeris fuisse peculiari-  
ter & insigniter præditum atq; instructū. Addidit quidem ei

Deus aliquot *οὐνεργου* s, quia vnus tantæ rei sufficere non poterat, & alios alijs donis ornauit, ac veluti *εργουδίωντης*, cui libet suas operas, in quibus & laborare & excellere debuit, adsignauit. Sed præcunctis tamen alijs hunc Heroâ ista nostra ætate illuminauit, rexit, protexit Deus, ita vt alij, dona Dei in ipso meritò cognoscentes plurimicq; vt decet facientes non erubuerint publicè profiteri, se ab hoc viro lucè doctrinæ ex sacris fontibus prolata accepisse, eamq; breuiter atq; ordine repetere. Nemo sanè tam est hebes vel vecors, qui legens Lutheri scripta & aliorum, non animaduertat, in Lutheri libris, mirificam esse Spiritus alacritatem, vitam, vim, potentiam in hominum animis exuscitandis ac permouendis, singularem dexteritatē in applicandis rebus, lumen interpretationis & sermonis inimitabile, vni formem stabilitatem in veris sententijs, quæ in aliorum monumentis, licet ea quoq; suam habeant gratiam & dignitatem, tali modo non conspiciuntur.

Ab hoc igitur organo Deitam præstanti, per Spiritum sanctum, ac tali tempore, vbi verbum Dei in lucem sacro sanctæ Trinitatis consilio & opere reducebatur, passimque toti Ecclesiæ Christi instillandum erat, non sine collatione plurium summorum virorum, hic Catechismus est traditus, & tanquam Christi donum preciosissimum, post sacra Biblia, toti mundo exhibitus. Harum rerum consideratio, non est parui momenti.

Necq; est exemplum nouum, necq; res nouæ vel suspectæ in hoc Catechismo obijciuntur. Nam etiam Apostolorum tempore vsitatum fuit *κατηχησαι* eos, qui sacris Christi erant initiandi, atq; in Ecclesiæ ipsius societatem recipiendi, id quod ex Pauli Epistolis liquet. Fuerunt deinde *κατηχηται* Pantenus, Origenes, Clemens, & multi alij excellentes viri.

Res verò ipsæ, quæ in hac Catechistica institutione recitantur, sunt ex verbo Dei depromptæ, vt Decalogus, Oratio Dominica, verba Baptismi & Testamenti Christi:  
Sym

Symbolum porro Apostolorum, sua quoque habet illustra fundamenta in veteri & nouo Testamento, Nucleus itaque Bibliorum, & capita summa, ad cognitionem Dei, eius cultum, hominumque salutem æternam necessaria, hisce Catechismi partibus continentur, Ac peculiari Dei ordinatione factum est, vt etiam superioribus seculis, rudioribus hæc ipsa ferè capita, licet magna fuerit docentium negligentia, vt pote qui superstitiosis ritibus supra omnem modum onerati essent, fuerint vtcunque tradita.

Enarratio verò Lutheri in hoc Catechismo, est Analoga sacrae scripturae nec est reprehensa hæctenus. Imò & Pontificij intactam eam reliquerunt expositionem, ac multa inde in suas institutiones, id quod non est obscurum, transulerunt. Non autem est exigua laus, in aliquo libello, præsertim ad rudiores de rebus diuinis informandos destinato, veritatem cælestem tradi, neque de humanis opinionibus aut aliqua impuritate eum præsertim in Ecclesia sincera, esse suspectum.

Tanta etiam dexteritate hic Lutheri Catechismus scriptus est, vt Spiritus sancti præsentia, gubernatio & artificium facile in eo appareat, atque insigne inter hunc & alios Catechismos discrimen constituat. Dexteritatem hic voco, ordinem eximium, & lucem singularem rerum & verborum, ad sacras res omnium summas facile, per Dei gratiam percipiendas & ad plures propagandas. Certum autem est, eiusmodi dexteritate cælestia dogmata in agrum Domini ritè & fructuosè ferendi, non omnes, licet alias non exiguis donis excellere videantur, pariter esse præditos. Noui quosdam celebres viros, eruditione præstantes, qui conquesti sunt, sæpius sese exortos esse Catechismorum scripturam, Verum ad finem perducere non potuisse, vel si serumperent. Nec dubium est, tum imperus ad aliquam rem suscipiendam, tum dexteritatem, vires, euentus, à Deo quibusdam, quos ipse suo iudicio deligit, vocat, exuscitat, donari. Possunt interdum aliqui æmulari alicuius summi viri

B

dex

dexteritatem, verum res ipsa probat, longè tamen eos in inferiori gradu subsistere oportere, nec posse illam excellentiam assequi, sicut experientia testatur, inter Simulachra virtutum & ipsa virtutum decora, quæ in heroicis personis lucent. plurimum esse differentiae.

Nemo autem non videt, Lutherum multis ad docendum instrumentis & virtutibus, diuinitus fuisse instructum, quæ in alijs non modo mediocribus, sed eximijs quoque non fuerunt similes. Secuit ipse primam, Deo præmonstrante & ducente, glaciem quod dicitur, non modo animo heroico, sed etiã inaudita post Apostolos dexteritate, quæ ad rationem docendi & applicandi sacra dogmata, tum voce tum scriptis attinet. Ideo autem nunc iuniores nonnulli, tumescentes totis visceribus persuasione Angelicæ ac perfectissimæ cuiusdã eruditionis, ista non admirantur, quia libros istius herois, vel non dignantur aspicere, vel otocitanter ac impuris pectoribus legunt, nec tam veritatem, quam verba quædam venantur, quæ ad sua deliramenta improbè & calumniosè detorquere valeant, vt nimirum aliquas sibi penas, vt AEsopicus ille coruus, vendicent, quibus Psitaci speciem mentiri queant.

Breuitas huic Lutheri Catechismo inest rotunda & neruosa, alijs inimitabilis. Nam tali pacto Deus hanc institutionem Christianam, à Luthero, suo Ministro, conscribi voluit, vt & intelligi à rudioribus, & sine magno negotio memoriae mandari, imò & sine fastidio sæpius repeti posset. Deus ipse author & largitor omnis eloquentiæ, in sacris literis mirabili vtitur breuitate, ita vt quidam nasutuli, nescio quam grandiloquentiam crepantes, simplicem istam & succinctam loquendi rationem superbe fastidiant. Sed procul dubio nouit Deus omnium optimè, quæ nam ratio docendi sit captui discipulorum omnium aptissima & commodissima, ac sanè pios necesse est sæpe Spiritus sancti rotundam breuitatem, quæ in tot scriptis Biblicis, tam diuersis temporum intervallis contextis, tanta harmonia obser-

servatur admirari & venerari. Non hæc dico, quod facundiam, copiosè & splendide de rebus sacris disserendi, atq; varios hominum motus concitandi, aspernemur, quia & ea donum Dei eximium est, sed quia aureum illud eloquentiæ flumen, non angustis suis alueis decurrens, sed totis campis sese effundens, non possunt imperitiores, & iudicijs destituti, comprehendere, licet ad motus sciendos resq; necessarias in ima pectora imprimendas plurimum ponderis habeat: Ideò in ratione instituendi simpliciores, non immeritò prædicamus rotundam, planam, dilucidam breuitatem, in qua & hic Lutheri Catechismus præcipuam laudem iure meretur.

Nervosam autem breuitatem in hoc Catechismo conspici, non postremam dotem esse statuamus. Non solum enim habet illa omnia, quæ ad eiusmodi summam doctrinæ cœlestis pertinent, Sed enarratio ipsa quoq; tanta est sapientia per Spiritum sanctum contexta, vt rebus vtilibus non modo omnes sententiæ, sed singulæ etiam voces ac syllabæ sint refertæ ac stipatæ, vberimanq; imò inexhaustam cogitandi, meditandi, explicandi materiam suppeditent. Eiusmodi verò Nervositatem non esse alijs communem, ex scriptorum collatione, intelligentibus non obscure patet.

Nec solum ab ijs, qui tum Luthero adfuerunt, iste Catechismus est probatus, & summis Encomijs euectus, Sed in publicum Ecclesiarum, quæ synceram Euangelij doctrinam hoc sæculo amplexæ sunt, in Germania præsertim, vsum receptus est. Non est autem tutum neq; vtile Ecclesiæ Dei, sæpius *ὑποτυπωσιν* sanæ doctrinæ mutare. Nam turbantur discentes, & ipsa variatio pijs scrupulos quosdam inijcit. Nemo ignorat, donorum in docentibus esse notabile discrimen, præterea mutationes Catechismorum, mutationes etiam ipsius doctrinæ, non rarò secum appetere solent. Nam vera & seria in Religione constantia, non amat nimium crebras & non necessarias in docendo variationes,

triones, sed eadem potius iisdem verbis iuuentuti & rudi plebeculæ inculcare studet, vt seniores liberis & familiae suae eadem verba dictare, atq; ad longam posteritatem transmittere queant. Paulus ipse inquit, se data opera eadem Philipensibus scribere.

Solent porrò homines magnifacere eas res, quarum vsus insignis probè exploratus, & obuius est. Quis non vitium, frumentorum & aliarum rerum præstantiam celebrat, quia vsus earum creaturarum, quotidie ob oculos versatur? Opulenti vnius gemmæ vim ac virtutem, immensis laudibus extollunt magniq; æstimant. Verum si vsum spectare velis, vt sanè spectari debet, hic Lutheri Catechismus, multis margaritis, adeoq; ipso frumento & vino preciosior magisq; necessarius æstimari debet. Constat enim hoc libello & Christianos, & summa miracula hæctenus effecta esse. Nam ex eo non tantum senes, sed etiam pueri tantam perceperunt Dei, peccati, gratiæ ac remissionis peccatorum, inuocationis & cultum Dei, Baptismi, Absolutionis, Cœnæ sacrae, consolationis in ærumnis ac morte, resurrectionis & vitæ æternæ cognitionem, quantam superioribus seculis pleriq; Magistri nostri & summi doctores & Episcopi in Papatu, non habuerunt. Quodnam in terris spectaculum est iucundius, quàm videre in oppidis, in pagis, in domibus pauperum & diuitum ante mensam vel etiam in templis in conspectu tot hominum, stantes tenellos pueros, qui lingua etiam balbutiente non nihil, non modo textum Decalogi, Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Baptismi & Testamenti Saluatoris nostri, Sed etiam propriam & perspicuam eorum, sententiam, complicatis manibus recitant? Noui plurimos, satis prouectæ ætatis homines, qui magna reuerentia hoc Dei beneficium celebrarunt, quod à pueris integrum Catechismum didicerint, quem antea non sciuisent. Mouentur & homines alioqui feri, barbari & qui videntur Cyclopum esse progenies, hac ipsa puerorum sapientia & doctrina, vt non nihil suam inscitiam

scitiam cognoscant atq; detestentur, & quaedam ad cor-  
rigendos impios & veros mores, addiscant.

Sunt quidem conciones publicæ, in quibus aliquan-  
to vberius res sacræ explicantur populo, necessariae: Ve-  
rum vsu compertum est, id quod pastores, examinantes in-  
terdum suos auditores, sæpius cognoscunt, multò plus fru-  
ctuum Catechisticam illam institutionem, quæ ex isto Lu-  
theri libello fit, ad rudiores peruenire, quam ex prolixis il-  
lis declamationibus ad populum, præsertim si rerum ordo  
Rhetorica illa magnificentia & coloribus quibusdam ora-  
tionis obscuretur.

Vidimus non tantum pueros, sed etiam senes in agone  
mortis, ex hoc Catechismo dulces consolationes haurire, ei-  
usq; perpetua repetitione, accommodatis scripturæ dictis,  
laudem Deo dicere, suasq; animas ei placidè committere.

Cum igitur vsus istius Catechismi Lutheri mirificus,  
in plantanda & propaganda Ecclesia Dei, non modo in  
Germania, Sed apud alias etiam gentes sit cognitus, pro-  
fectò attendendum est non segniter, ne callida quorundam  
arte, ex Ecclesijs & scholis serio Deū colentibus, elidatur.  
Nam nonnullos in hisce cuniculis fodiendis operam sumere,  
postea monebimus.

Factus insuper nunc est iste Catechismus Lutheri,  
passim in populo Dei, qui Antichristum reuelatum, & om-  
nes corruptelas tum veteres tum recentes, odit ac detesta-  
tur, post sacras literas *κρίτη ἡθροῦ* ac veluti Lydius lapis, pro-  
bandi ac iudicandi omnis generis dogmata vel audita vel  
lecta, Rectè & verè David inquit, Lucerna pedibus meis  
verbum tuum, & Esaias, Si quis non dixerit iuxta verbum  
hoc non erit ei matutina lux. Sed cum pleriq; in populo  
Christiano integra Biblia legere non possint, aut dicta om-  
nia, quæ in publicis concionibus allegantur, memoria te-  
nere, ideo Catechismus iste vice paruorum Bibliorum ipsis  
est, ac regulam istam bona conscientia tenent: Quidquid  
cum hoc Catechismo non concordat, id erroneum ac fugien-  
dum.

dum esse. Ratio est, quia norunt sibiq; persuasissimum habent, hunc Lutheri Catechismum ex verbo Dei, tanquam summam ac Medullam Bibliorum per Spiritum sanctum rudioribus esse excerptam atq; monstratam.

Insanit Antinomus hoc dogma proferens, Legem Dei in Ecclesia non docendam, sed in curiam relegendam esse. Mox puer aut laicus inquit, hanc doctrinam Decalogo esse contrariam, quo e templis remoto, vnum de præcipuis capitibus doctrine cœlestis explodi, quod nefarium facinus nemo hominum probare queat.

Prodit alius ineptiens, Peccatorum cognitionem etiam ex Euangelio peti. Continuò simplex Christianus ad secundam Catechismi partem hoc dogma exigens, inuenit ibi, recte q; pronunciat, remissionem peccatorum nos ex Christo habere & credere, id quod sit Euangelium hoc est læta & iucunda vox. Mosen verò seu Decalogum de operibus & peccatis agere, vt enarratio Catechismi docet. Nec differunt Iudas & Petrus quod ad Decalogum: Vterq; enim ex eo arguitur peccator, vtriq; maledictionem Lex imprecatur: Sed in Symboli secunda & tertia parte variant, quia Petrus credit in Christum pro se patientem, & amplectitur gratuitam per ipsum remissionem peccatorum, Sed Iudas secundum & tertium Symboli Articulum non accipit, non statuit Christum hoc etiam peccatum suum, expiare sanguine suo, non credit remissionem ex imensa misericordia, sed horribiliter desperat.

Garrit aliquis rerum & exercitiorum spiritualium imperitus, effutiens lingua effreni, hominem naturalem in sua ad Deum conuersione, non prorsus esse mortuum, sed aliquid agere, seu vt clarius dicam annuere posse, cum sit voluntate præditus Natura, neq; excludi voluntatem, vt causam, sed vt meritum, sicut noui quidam præstigiatores nouas istas glossas comminiscuntur, Illicò repudiatis subtilitatibus & nebulis doctorum, Idiota ad suum Catechismum currens, perspicuis verbis impium dogma retundit.

Sic



Sic inquit, in tertio Articulo Symboli edoced̄ & profiteor: Credome proprijs rationis meæ viribus, Iesu Christo Domino meo fidere, aut ad eum accedere nullo modo posse. Sed Spiritus sanctus per Euangelium me vocauit, suis donis illuminauit, recta fide sanctificauit & conseruauit.

Fuit aliquis Anabaptista, ebuccinans, non renatos infantes Christianorum, ad gratiam Dei pertinere, ac baptismum non tam applicationem quam ob signationem esse gratiæ, nec properandum esse vt baptifetur infans, Baptifatos quoq; in infantia, denuo baptifandos esse in adulta ætate. Protinus Catechumenos ad sua parua Biblia currens, dicit, se non inuenire in ijs, quod Baptifimus sit iterandus, perinde vt cœna Domini. Deinde hæc verba esse clara. Baptifimum operari condonationem peccatorum, liberare à morte. Itaq; neminem pro renato habendum, nisi qui hoc regenerationis lauacro tinctus sit.

Sæuit aliquis Sacramentarius, Testamenti saluatoris deprauator & eneruator nefarius, contendens magnis clamoribus, tam procul abesse corpus Christi verum à Cœna, quam procul Cœlum à terra distat. Tantum igitur Symbolum corporis quod est panis, in hac cœna distribui, vniq; solummodo & fructum corporis cœlo inclusi & sedentis certo loco, in cœna illa communicari, Verbum est, pro significat oportere accipi: Euestigiò peritus Catechismi ad Normam illam Criticam se recipiens, directam & solidam profert responsionem: Eccè falsator improbe Testamenti Dominici, verba Christi sunt perspicua, Hoc est corpus MEVM, QVOD pro vobis traditur. Non hic lego, hoc significat corpus meum. Deinde sic didici definire. Sacramentum Altaris, est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum ac bibendum ab ipso Christo institutum.

Delirat aliquis Enthusiasta fanaticus, verbum Dei rem esse externam, nec penetrare corda. Illuminationes quasdam & raptus violentos sine verbo Dei, & extra Mi-

nisterium eius quærendos esse. Extemplo paruorum Bibli-  
orum, id est Catechismi gnarus obijcit, primam orationis  
Dominicæ petitionem docere de nominis diuini sanctifi-  
catione. Expositionem verò talem addi. Nomen Dei san-  
ctificari, cum VERBUM DEI purè & syncerè docetur,  
& nos secundum illud, vt filios Dei decet, piè viuimus. Fa-  
cessant igitur deliramenta blasphema & exitiosa, verbum  
Dei extenuantia & in contemptum adducentia.

Papifat quis sine omni fronte & corde in nostris Ec-  
clesijs declamitans, Bona nostra opera in ipso articulo Iu-  
stificationis nostræ coram Deo, necessitate præsentia esse  
necessaria. Actum tùm puer aut simplex Christianus inquit,  
se in Symbolo Apostolico hoc dogma non habere, vbi qui-  
dem planè pronuncietur, Credo in Christum redemptorẽ,  
credo remissionem peccatorum. Nec in oratione Domini-  
ca extare, vbi rotundè omnes sancti etiam orent, Pater, di-  
mitte nobis debita nostra. Quod verò bona arbor debeat  
bonos fructus parere. Quod iustificati bona opera faciant.  
Quod fidem sequantur bona opera, id extra omnem con-  
trouersiam esse positum, modò vt Lutherus prudenter sum-  
maq; fide monuit, articulus Iustificationis, & Articulus bo-  
norum operum dextrè inter se discernantur.

Hæc in præsentia tantum exempli gratia comme-  
morare volui, vt videant omnes boni, pijs & cordati homi-  
nes, quantum in primis iste probatus Lutheri Catechismus,  
quamq; salutarem vsum habeat.

Imò & iuxta hunc libellum pleriq; iudicium facere di-  
dicerunt, de concionibus quas audiunt, vt solerter iudicare  
queant, ad quam Catechismi partem, quilibet doctrinæ lo-  
cus sit referendus, id quod ad intellectum & memoriam re-  
rum, plurimum habet adiumentum.

Sed inquis, immodicè prædicas Lutheri Catechis-  
mum. Respondeo, intelligunt auditores, me non tam per-  
sonam, quam opus Dei, debitis laudibus euehere. Deinde  
iudicium Ecclesiæ Dei rectè sentientis recitare. Nam am-  
plissimè

plissimi fructus, quos iste libellus in Ecclesia Christi quotidie adfert, viua testimonia de eius excellentia & praestantia dicunt.

Nunquid igitur inquis reliquos Catechismos, a viris doctis scriptos, fastidis ac reijcis? Non aspurno Dei dona in alijs, non improbo definitiones virtutum & peccatorum, aliarumq; rerum explicationes eruditas, sed euiden-  
tem inter Catechismos esse differentiam, omnes <sup>θεος ιδαντοι</sup> norunt. Nam quidam non tam illustrem noticiam rerum habuerunt, vt Lutherus. In quibusdam iudicium rerum sacrarum est tenuius. Alijs dexteritas in rebus sacris ad cap-  
tum rudiorum tradendis defuit. Ac saniores non dissimulant, se ex Luthero, post Deum, suos illos Catechismos haussisse, vt qui primus hac nostra aetate hoc exemplum & quasi fundamentum Catechismorum constituerit. Caesa enim materia, & monstrata via, postea alij eam secuti sunt.

Alij etiam ambitione quadam voluerunt novas Institutiones cudere, primum ne viderentur aliorum laboribus frui, Deinde vt sua quaedam dogmata, hac ratione incautae iuuentuti propinarent.

Itaq; discrimen inter Catechismos est maximum. Quidam enim sunt puri, quidam impuri. Quidam ad docendum idonei, quidam non.

Hanc igitur postremam causam adijcio, cur Lutheri Catechismus, tanquam <sup>κειμηνιον</sup> preciosissimum in Ecclesia Christi, perpetuo vsu, conseruandus sit, quia hodie non pauci, prauis opinionibus infecti, homines inflati & Logodaedali, novos Catechismos conflare, tenereq; iuuentuti obtrudere non verentur, vt hoc artificio corruptelas doctrinae coelestis ei instillent, ac paulatim hunc probatum atq; utilissimum Lutheri Catechismum, id quod longus rerum vsus comprobauit, e medio pellant, ac Lutheri nomen & scripta progressu temporis prorsus deleant, iactisq; eiusmodi fundamentis, tandem sese in suis corruptelis asserendis, prorsus aperiant ac diffundant.

C

Quos

Quomodo Sacramentarij nonnulli in Gallia & Germania, mox exturbauerint e suis Ecclesijs Catechismum Lutheri, suumq; proprium foetum, in quo errores non pauca continentur, supposuerint, non est ignotum. Verum Sacramentarij non sunt agniti a Luthero & recte sentiente Ecclesia pro fratribus, ac sunt in Augustana Confessione damnati, hac voce, DAMNAMVS secus docentes, quae quidem verba nulli Sacramentarij, licet id machinentur, eradere valebunt.

Sed multo sunt nocentiores, qui in vestimentis ouium veniunt, dicunt se reuerenter de Luthero sentire, eius Catechismum non penitus esse remouendum, & tamen in hoc vnum omni arte incumbunt, vt non attendentibus neq; animaduertentibus seu potius dormitantibus hominibus, vt Christus loquitur, doctrinam Lutheri, quae est ipsius verbi diuini, pederentim ac sensim euellant atq; remoueant. Eam vero tetram fraudem & imposturam detestabilem, vt paululum deprehendere queas, saltem ad ista negotia seu probas quasi, animum aduerte.

Primum scripta Lutheri polemica, contra Sacramentarios & alios fanaticos, suo iudicio perfodere non erubescunt.

Deinde sine fronte audent mentiri, Lutherum quaedam contra errores & deliramenta Sacramentariorum & Synergistarum, reuocasse.

Tertio extenuant hunc Catechismum quasi libellum imperfectum, nimis aridum & obscurum, seq; pleniora multo tradituros iactitant. Sic scilicet istis haec inexhausta Dei dona fordent, Imo apud alios quoq; in contemptum ab ipsis adducuntur.

Quarto calamum in Catechismum Lutheri audent stringere, eiusq; definitiones nequiter, falsare.

Quinto substituunt alias definitiones generales, & flexio loquas quibus Sacramentarij vtuntur, vt hoc artificio Lutheri definitione strangulent. Sic dicunt, Coena Domini est

est communicatio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sicut in verbis Evangelij instituta est, in qua sumptione filius Dei verè & substantialiter adest, & testatur se applicare credentibus sua beneficia. Eiusmodi verò descriptionem, Calvinus, Beza, & omnes moderni Sacramentarij vtrò admittunt & exosculantur, quia vocibus vtitur generalibus, ambiguis, Sacramentarijs familiaribus, nec de Materia cœnæ tam lucidè loquitur, vt Lutheri definitio. Constat enim ex publicis libris, quomodo Sacramentarij substantialiter adesse, & *νοικωνιασ* vocabulum, interpretentur.

Sexto, Articulum de sessione Christi ad dexteram patris, ad localem sessionem arcanis quibusdam meatibus pertrahere moluntur.

Septimo, Antinomicas nebulas inspergunt, Evangelium propriè loquendo esse concionem de pœnitentia, concionem de peccatis, accusare, damnare, mortificare etiam proprijsimo suo officio. Legem non arguere omnia peccata, & similia.

Octauò, vt hoc possint eò impunius agere, sua nomina quoq; interdum occultare student, & interea spectra quædam officiorum aut similium rerum obijciunt, quibus fucum suis illis artibus faciant. Sentiunt enim tales in cordibus suis stimulos, sese nec Spiritu, nec iudicio rerum, nec alijs in partibus Luthero esse pares, & sine rubore se non posse palàm atq; apertè hunc ipsius Catechismum tanto vsu Ecclesiæ Christi probatum, conculcare aut abolere.

Tales verò aliquot habet notas illa Catechesis, quæ nuper, sine nomine authorum, à nescio quibus vel iuuenibus vel senibus Vitebergæ est excusa, & ad decipiendam atq; deformandam Ecclesiam puram, quæ Lutheri doctrinam, ex verbo Dei traditam, sequitur, comparata. Habet enim palàm tum Antinomica tum Sacramentariorum dogmata.

Vbi igitur eiusmodi notæ sese patefaciunt, publicisq;

libris per agrum Domini disseminantur, an non ouiculæ, sanguine Christi tinctæ, aures arrigent? An non voces istas peregrinas, & alienas à voce Christi Pastoris summi iudicabunt, reijcient, fugient, abominabuntur? Pabulo enim saluberrimo verbi diuini infecto, quid sanitatis sperare poterunt?

Quin igitur Aperite oculos, Aperite aures, Attendite, qui in ouili Christi versamini passim per Germaniam & alias nationes, & obseruate, qualesnam in veritatem patefactam agantur cuniculi, quantæ tenebræ luci fulgentissimæ offundantur, quanti thesauri ad salutem nostram spectantes miris technis abripiantur? Initia quidem videntur esse exigua. Angelicam præ se ferunt speciem, errorum patroni. Sed euentus tamen paulatim magis magisque patefieri incipit. Ingruunt inquam Sacramentariorum blasphemata deliramenta. Resurgunt Antinomorum furores, lucem discriminis inter legem & Euangelium ingenti fastu extinguentes. Quid igitur speculatores Domini stertunt? quid ouiculæ dormitant? Venit turgenti Sacco inimicus homo, Zizania plenis buccis manibusque in triticum verum longè lateque dispergens.

Tempus igitur esset, ingenua & aperta Confessione & oratione ardenti, depositum Lutheri, à Deo nobis miseris hominibus commissum, non oscitanter nos tueri. Sed prohi dolor postrema mundi tempora horribilem hominum torporem in rebus diuinis conseruandis, & incredibilem illam libidinem fingendi & fucandi errores quantumuis tetros, iuxta ipsius filij Dei præmonitionem secum adferunt. Quid enim potest tristius dici, quam quod ille omniscius Vates inquit, Putasne quando filius hominis venturus est, reperiturum eum in terris esse fidem?

Quia autem aliqua, licet exigua, Ecclesia in terris, vsque ad illum visibilem ac gloriosum reditum Christi ad iudicium vniuersale, mansura est, non abijcienda est fides confessio, oratio, licet crepet mundus, ruant montes in  
mare,

mare, & rumpat se Diabolus medium, cum suis organis, multosq; pios infantes, laudem Domini sonantes, cum carne cuteq; deglutiat.

Maneamus igitur in trita ac regia via, nec ignes illos fatuos, fictasq; voces sequamur. Bibamus ex veris Israel fontibus, neq; cisternas quas subinde noui fossiores aperiant, curiosè appetamus. Non minor est virtus, quam quærere parta tueri. Christus inquit, Beati qui perseverant usq; ad finem. Benè cœperatis, Benè currebatis ait Paulus, quis vos fascinavit non obedire veritati?

Sed solent præstigiatores, quos propria conscientia reos agit, eiusmodi admonitiones indignissimè ferre, ac non tantum maledicere horrendum in modum, sed etiam sanguinem commonefactorum sitire, iuxta Christi doctrinam Ioh. 8. Ideò sufficiat, ouiculas Christi ad excutiendum veterum, paululum esse exuscitatas, ac sciant, suas Confessiones & orationes nequaquam futuras esse irritas.

Ex hac commemoratione, confido, vos, optimi studiosi, iam vestra sponte animis concipere & magnificare rationes, cur hoc loco istum Lutheri Catechismum repetendum censuerim. Nam summam locorum doctrinæ cœlestis complectitur, nec potest à quoquam nostrum exhauriri. Fatuus sit necesse est, qui asseueret, sese perfectam huius Catechismi cognitionem tenere. Nouistis Symbolum Nicenum alicubi in Academijs expositum esse. Sed Catechismus hic noster plura continet. Deinde altera causa est, quia nonnulli hunc Catechismum contumeliosa extenuatione, Imò etiam, manifesta deprauatione, ac tumida nouorum Catechismorum substitutione, gradatim delere conantur. Præterea habet ille Lutheri libellus ea omnia, quæ Isaagogicum librum commendare & ornare possunt. Autorem probatum & eximium. Res magnas utpote diuinas, puram veritatem. Verba clara. Dexteritatem in ordine, breuitate ac neruositate. Usum ingentem, Testimonia rectè sentientium. Plura non attexam, vota tantum coniungamus.

Te igitur Iesu Christe, qui sedes ad dexteram æterni patris, omniaq; in cœlo & in terra pedibus subiecta habes, totis pectoribus vnoq; ore supplices petimus, vt in hac tua Schola, & in hac tua Ecclesia, ex immensa misericordia lucem ac puritatem doctrinæ tuæ, quam in hac mundi senectia, Ministerio Lutheri patefecisti, conserues, atq; ab omnis generis præstigijs, quibus veritas tua dedecoratur, & ouiculæ tuæ iugulantur, siue illæ pontificiæ, siue Sacramentariæ, siue Interimisticæ, siue Adiaphoristicæ vocentur, custodias, excites & serues fidos verbi tui Ministros & propagatores, plantulas cœli tute ipse feras, riges, producas, defendas, à quibus tum in hac tum in altera vita celebreris, mitiges, modereris, gubernes omnes calamitates & pericula omnia, quibus exitium Scholis & Ecclesijs struitur, quia sumus oues pascuæ tuæ, nec est alius qui pugnet pro nobis. Amen.

Lege. A. 3. b. Antinomi. B. feros.

F I N I S.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Leges s. p. Anonymi B. 1. 1. 1.

F I N I S




QX 9  
8591  
1658



X 2206 003







B.I.G.

Farbkarte #13

CAVSAE

CVR

CATECHISMVS LV-


THERI IN SCHOLIS ET ECCLIE

*sijs Christianis fideliter sit retinendus ac tradendus, ac suppositicij atq. impuri Catechismi sint fugiendi*

ORATIO HABITA IN  
Academia Ienensi

A

D. IOHANNE VVI  
gando.



1893/4. 25831

IENÆ  
Anno Christi, M. D. LXXI.

Nr. 345